

tur, quia omnem virtutem imperfectam potest Deus perficere magis ac magis, atque adeo virtuti fluenti communicare permanentiam; quod maxime decens erat in humanitate Christi fieri.

LIV. Respondetur, quod bene potest Deus perficere omnem virtutem imperfectam intra latitudinem suæ speciei, et naturæ; si tamen tantum crescat perfectio, quod excedat limites suæ naturæ, erit virtus alterius speciei. Virtus autem instrumentalis ista actualis, de qua loquimur, est ex natura sua transiens sicut motus, et ideo non potest Deus facere permanentem, quia non potest facere quod sit transiens, et permanens; sicut non potest facere, quod motus quiescat, quia est contra ejus naturam; poterit tamen facere, quod motus, vel actio duret per aliquod tempus, sed tamen semper per modum fluxus et fieri. Sic similiter motio instrumentalis petit esse per modum transeuntis, unde connaturaliter petit esse in actu secundo; si autem a Deo conservaretur quasi in actu primo habitualiter, seu per modum habitus, non esset juxta naturam suam; nec hoc erat decens ponere in Christo regulariter, et de lege ordinaria, quia decencia major est ut servetur modus connaturalis cujuscumque rei, et potius erat in decencia ponere motionem non per modum actus, sed per modum habitus, et quasi otiose ibi perseverans, tamquam actio non agens in actu secundo; maxime cum decencia ex alio capite melius salvetur, scilicet ex unione, et conjunctione ad Personam divinam, ratione cujus præsto illi adest hæc virtus, quotiescumque illa voluerit uti.

LV. Quarto arguitur: Quia quando humanitas Christi efficienter concurrebat ad causandam gratiam, et miracula, constituebatur

in ratione principii productivi talium effectuum, non quidem per virtutem sibi naturalem, et intrinsicam, sed per virtutem Dei; hæc autem virtus non potest esse in ipsa humanitate recepta; ergo est aliqua qualitas permanens habitualiter. Minor probatur, quia motus non potest esse principium actionis, cum sit forma activa.

LVI. Confirmatur, quia esto daremus motum illum esse principium actionis, qua humanitas operatur miracula, tamen virtus intelligi non potest sine aliquo termino per ipsam producto, cum motus sit productio, seu acquisitio sui termini; ergo si motus ille recipitur in humanitate, in eadem erit terminus productus per talem motum; qui nihil aliud videtur posse esse, quam qualitas aliqua per illum producta; atque adeo talis virtus ad miracula erit permanens habitualiter in humanitate.

LVII. Respondetur, quod illa virtus est motio, seu motus, non tamen est principium alterius actionis a se distinctæ, et virtute ipsius elicite; sed est motio, quæ simul est actio agentis principalis producentis effectum, et moventis instrumentum per eandem actionem, ut illam deferat usque ad effectum, et per eandem motionem, qua instrumentum movetur, instrumentaliter operatur, non per aliam actionem, quia eadem actione operatur instrumentum, qua agens principale.

LVIII. Ad confirmationem respondetur, quod motus, seu motio est productiva, seu acquisitiva termini in subjecto, in quo quiescit, et in quo recipitur quasi in termino, non vero in quo recipitur per modum fluxus, et per modum transeuntis; et quia virtus ista, seu motio taliter recipitur in humanitate, quod non terminatur ibi, sed solum per modum transeuntis ad producendum

miraculum in alio subjecto, verbi gratia, ad resurrectionem Lazari, et sic de aliis; ideo non debet producere aliquid in ipsa humanitate.

LIX. Ultimo: Nam omnes aliæ gratiæ gratis datæ communicantur humanitati Christi habitualiter, et permanenter; ergo etiam gratia miraculorum. Consequentia patet ex paritate rationis, et antecedens probatur, quia genera linguarum, discretio spirituum, et prophetia habitualiter erant in Christo Domino, ut dicitur dum de eis ageremus quæstione VII, articulo VII et VIII.

LX. Respondetur, quod solutio hujus argumenti non dependet ex veritate antecedentis; duplex est enim modus dicendi de antecedenti communis in quæstione septima citata. Quidam dicunt, quod omnes gratiæ gratis datæ fuerunt in Christo transeunter, sicut in aliis hominibus; et isti solvunt argumentum negando antecedens: alii dicunt, quod prophetia, discretio spirituum, et donum linguarum, quæ in aliis sunt per modum transeuntis, in Christo fuerunt habitualiter, et permanenter; quod nos secuti sumus supra in materia de scientia Christi, in disputatione de objecto scientiæ infusæ, articulo secundo, ubi diximus, quod per scientiam infusam Christus fuit vere propheta; et etiam quod cognovit cogitationes cordium, quod pertinet ad discretionem spirituum; et idem est de aliis gratiis gratis datis, quæ pertinent ad cognitionem, quia S. Thomas infra quæst. XI, artic. I, in corpore docet, quod per scientiam infusam cognovit Christus omnia, quæ per revelationem divinam hominibus innotescunt, sive pertineant ad donum sapientiæ, sive ad donum prophetiæ, sive ad quodcumque donum Spiritus sancti, ubi clare loquitur de prophetia, et universaliter de omni dono, et sic

potest intelligi de spiritu sapientiæ, et scientiæ, etc.

LXI. De dono linguarum clare S. Thomas supra quæstione VII, art. VII ad tertium inquit: « Quod non oportuit, quod loqueretur pluribus linguis (scilicet Christus) nec tamen defuit ei omnium linguarum notitia, cum etiam abscondita cordium ei non fuissent abscondita, quorum voces quæcumque sunt signa, nec tamen inutiliter hanc notitiam habuit, sicut non inutiliter habet habitum, qui eo non utitur quando non est opportunum. » Ubi clare docet habere hanc gratiam, quando non utebatur illa, et sicut habitum: et sic ad argumentum transeat antecedens, et negatur consequentia. Ratio differentiæ est, quod in Christo fuit scientia infusa habitualis, ex defectu cujus in aliis hominibus datur lumen propheticum transeunter, et ex defectu scientiæ beatæ, ut docet D. Thomas 2-2, quæst. CLXXI, art. II, et ideo in Christo fuit permanenter, et habitualiter lumen, quod in aliis est transeunter. At vero de gratia miraculorum, et curationum nullus ponitur in Christo habitus operativus, qui deficiat aliis, sed instrumentaliter operatur etiam ejus humanitas, et ideo virtutem instrumentalem habet, sicut alii transeunter.

LXII. Præterea si poneretur habitus sicut in aliis gratiis, ille constitueret causam principalem, sicut in aliis si esset completus, et si esset incompletus sicut character, ut salvetur ratio instrumentalis in Christo, non erit necessarius, sicut nec character; et adhuc dato indigeret motione actuali, sicut habentes characterem. De quo infra quæstione LXXIII, articulo II, vide ibi dubio secundo, quæ (ut dictum est ad tertium) naturaliter petit, quod sit actio, et ideo non potest esse habitus. De hac materia vide infra quæstione

LXXII, articulo I, dubio VII et VIII, et ultimo, ubi latius tractatur, et quæ hic desiderari possunt ibi reperientur.

ARTICULUS IV.

Utrum nostræ justificationis, et gratiæ Christus sit causa principalis; an vero solum instrumentalis?

I. In hac difficultate magister Medina in hoc articulo primo dubio ultimo, conclusione VIII, tenet partem affirmativam, videlicet Christum Dominum causam esse principalem gratiæ, secundariam tamen. Cui sententiæ multum favet Cabrera hic disp. II, conclusione I et II. Et quamvis aliquid recedat a Medina, ponit tamen proprietates in Christo respectu causalitatis nostræ gratiæ, quæ conveniunt causæ principali, secundum quod ab instrumentali distinguitur. Hujus sententiæ fundamenta inferius adducenda sunt.

II. Secunda sententia est negativa asserens, quod Christus Dominus non est causa principalis nostræ gratiæ, sed solum instrumentalis, quæ communissima est inter theologos; et illam inter alios tenet Suarez disp. XXXI, sect. IV, ubi affirmat sententiam primam jam relatam magistri Medinae esse improbabilem, omnino falsam, et temerariam. Cæterum magister Vincentius in relectione de gratia Christi, quæst. VI, pagina 830, conclusione II; et Zumel 1-2, quæst. CXII, art. I, disp. II, conclusione III, quamvis non assentiant illi sententiæ, liberant tamen illam a censura, quam illi imponit Suarez. Imo magister Cabrera disp. II, §. IV, num. LIV, non solum excusat Medinam, sed etiam ait censuram datam a Suarez esse rigidam, et suo auctore indignam.

PRIMA CONCLUSIO.

III. Nullatenus asserendum est humanitatem Christi esse causam principalem nostræ gratiæ. Hæc conclusio explicanda est antequam probetur. Et quidem causam principalem alicujus effectus asserunt aliqui esse in duplici differentia; quædam enim est, quæ agit per virtutem propriam, et connaturalem, ut quando homo generat hominem, et ignis ignem; altera autem est, quæ solum significat causam sustentantem se in formam communicatam ab extrinseco, quæ principaliter est activa effectus, sicut aqua calida sustentat in se formam caloris, qua principaliter calefacit. Accepta ergo causa principali primo modo asserit magister Medina Christum secundum humanitatem esse causam principalem nostræ gratiæ: accepta vero in secundo docet Cabrera, discedens in hoc a Medina, Christum ut hominem esse principalem causam gratiæ per formam ab extrinseco sibi communicatam, videlicet per suam gratiam. Et contra utrumque auctorem ponitur nostra conclusio universalis per illud verbum nullatenus.

IV. Quo supposito conclusio nostra, quæ communissima est omnium doctorum (duobus illis exceptis) probatur primo ex D. Thoma multis in locis; illam enim tenet supra quæst. VI, art. I ad primum, et infra quæst. LXII, art. V, et quæst. LXIV, art. III, et 1-2, quæst. CXII, art. I ad primum, et IV contra gentiles, cap. XLI, circa finem, et de veritate quæst. XXVII, art. III ad septimum, et quæst. XXIX, art. IV ad primum, et ultimum. Cum D. Thoma convenit Durandus, Paludanus, D. Bonaventura, Driedo, et alii quorum men-

tionem facit Suarez disput. XXXI, sect. IV.

V. Secundo, probatur conclusio, hac ratione, quia gratia, et effectus ejus soli Deo tribuuntur in sacra Scriptura, ut patet Psalm. LXXXIII: *Gratiam, et gloriam dabit Dominus*: et Psalm. LXVII: *Deus noster, Deus salvos faciendi*; et hoc ipsum sæpissime invenitur apud sanctos patres; ergo tenendum est Deum solum tamquam principalem causam gratiam nostram causare.

VI. Nec sufficit huic rationi respondere, quod solus Deus est prima causa principalis nostræ gratiæ, quia alias secundum istam expositionem nihil speciale tribueretur Deo in causalitate nostræ gratiæ, atque in causalitate aliarum rerum: consequens dici nequit; ergo. Probatur sequela, quia etiam omnium aliarum rerum creaturarum, quæ habent suas causas principales secundas, Deus ipse est causa principalis prima; ergo nulla esset differentia.

VII. Nec etiam sufficit si cum Cabrera respondeas, quod solus Deus est causa principalis gratiæ, quia solus ipse causat ipsam propria, et connaturali virtute, at humanitas Christi causat gratiam ut causa principalis, non tamen per propriam, et connaturalem formam, sed extrinsece sibi communicatam, et ideo solum Deum dici causam principalem gratiæ. Hoc, inquam, non sufficit, quia juxta expositionem istam, etiam solus Deus diceretur causa principalis operationum supernaturalium quæ sunt in nobis; actus scilicet fidei, et charitatis; nos autem non diceremur principales causæ horum actuum, quia ad illos non concurrimus per formas nobis connaturales, sed extrinsece communicatas; habitus namque fidei, et charitatis connaturales non sunt alicui creaturæ, et tamen certum est nos esse causas principales omnium horum

actuum, si quidem nos credimus, et amamus.

VIII. Confirmatur hoc ipsum, quia D. Thomas infra quæst. LXIV, artic. I, et 1-2, quæst. CXII, art. I, et quæst. XXVII de veritate, art. III, expresse asserit, quod solus Deus est causa principalis gratiæ, et quod humanitas Christi, et sacramenta sunt tantum causæ instrumentales.

IX. Quod si dicas D. Thomam velle docere, quod omnis causa principalis secunda appellatur instrumentalis causa respectu Dei, ut constat 1-2, quæst. I, art. 11, contra hoc est, quia licet omnis causa principalis dicatur instrumentalis respectu Dei, quia agit ut mota a Deo, tamen D. Thomas loco citato expresse distinguit de causa principali, et mere instrumentali, etiam secundaria; et tamen affirmat humanitatem Christi non esse causam principalem, sed esse solum causam instrumentalem gratiæ.

X. Tertio, probatur conclusio ratione D. Thomæ quam tradit 1-2, quæst. CXII, art. I, et super epistolam ad Ephesios, capite primo, quia solum illud, quod est tale per essentiam producit ut causa principalis physica, sive primaria, sive secundaria id quod est tale per participationem; sed humanitas Christi non habet per essentiam naturam Dei; ergo non potest ut causa principalis producere participationem divinæ naturæ, quæ est gratia, nec facere filios Dei adoptivos similes ipsi Deo.

XI. Nec valet instantia hujus rationis, quæ adduci solet de ferro candenti, et ignito, quod quidem non est calidum per essentiam; et tamen facit calidum illud, cui applicatur; ergo licet gratia, et natura Dei non conveniant per essentiam humanitati Christi, sufficit quod per participationem habeat gratiam, ad hoc ut possit illam principaliter producere in nobis, et nos facere